

nem pignoris est obligatus. ult. §. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. §. 6. Inst. de oblig. que ex delicto nascuntur. l. 54. ff. de Furt. qua in sententia est Carpz. part. 2. quest. 85. n. 65. fol. 302.

Interim verba textus ad *Officiales*, quibus administratio rerum commissa est, nullo modo trahenda esse, contendit Tabor in *Racemat.* p. 481. n. 5. Illi tamen licet perfidè agant, & pecuniam sub administratione ipsis concessam dolosè intervertant, & in privatum usum convertant, non tamen ordinaria pœna laquei afficiuntur, uti illud *suprà* explicatum est. Vide Tabor. in *Racemat.* p. 581. n. 5. & pag. 609. cum seqq. Et Berlich. part. 5. Concl. 57. n. 26. & seqq. fol. 110. 111. Coler. part. 1. Decis. 207. p. 524. Bocer. c. 2. n. 140. 141. p. 145. de furt. Caspar Mantzium Decis. 87. p. 472. Verùm hoc obiter.

Sensus autem nostri textus est: quod in omnibus bonis depositis, quæ alteri servanda, aut custodienda commissa sunt, furtum possit committi, uti sunt vestimenta, l. 1. §. 8. ff. Depos. ornamenta, l. 1. C. cod. Sacculi auro vel argento referti, l. 29 ff. cod.

Porrò ad hoc furtum quoque requiritur, ut illud perficiatur. Factum autem describitur istis verbis: Welcher mit eines andern Gütern dem Gläubiger zum Schaden handelt, quibus verbis propositum malitiosum & periculosa interversio includitur. Vide Tabor, pag. 583. n. 8. in *Racemat.*

(2) *Posterius membrum* agit de Pœna, quam simpliciter non exprimit Imperator, sed indefinite dicit: tale delictum simili pœna atque furtum coercendum esse. Hinc scribunt nonnulli: in hoc casu, si reliquæ circumstantiæ adfuerint, etiam pœnam ordinariam laquei inveniri locum, v. gr. si depositarius rem pretiosam cistæ inclusam, & apud se depositam, reserata vel effractâ cistâ subducatur, eamq; in proprium usum convertat, quod is suspendio possit puniri. Ægid. Bosius in *Pract. Criminal. Tit. de Furt. num. 45. pag. 297.* Berlich. part. 5. Concl. 57. num. 21. f. 110. Tabor. in *Racemat. pag. 584. num. 9.* A quorum tamen opinione recedit Carpzov part. 2. quest. 85. num. 68. f. 302. *Prax. Criminal.* Et dicit ex Claudio Bertazolio l. 1. Conf. 129. num. 13. fol. 260. quod quoties dolus vel delictum purgari potest per actionem ex contractu, vel quasi, actio de dolo, ut & accusatio criminalis cesset. Quod quidam ita explicant: dolum tegi seu velari posse contractu, cum ex eo habeat originem. Vide Tabor. pag. 585. *Racemat. num. 10.* Aliàs istæ regula apud Tuschum.